



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XX. Cum Crucifixo simul crucifigi oportet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT XX.

*Cum Crucifixo simul crucifigi oportet.*

Christo confixus sum CRVCI.

*Galat. 2, 19.*

*En meus est CRVCIFIXVS Amor! me figite  
clavi:*

*Et liceat Domino cum moriente mori.*



PERGENS porrò Staurophila, & cœptum continuans sermonem, ista subiunxit: Cùm toto corde te desiderem, ô dilecte votorum meorum, & iugiter ad te suspirem. Quid, quæso, est quod te hactenus, prout volui, inuenire non valui? *In Cant. 3, 1.*  
*lectulo enim meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Surrexi, & circuiui ciuitatem, per vicos & plateas quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Quid est hoc Domine? vsquequò non datur adhærere tibi, tibi coniungi, tibi vniri?*

Inde scilicet, aiebat Christus, quòd cùm quæras, non quæras vbi oportet: tu enim me quæris in lectulo, in præsentis vitæ aliquantulâ requie, at ego non habito *in terrâ sua-* *Iob. 28, 13.*

S 4

uiter

CHRISTO confixus sum CRVCI. Gal. 2, 19.



*En meus est CRVCIFIXVS Amori me figite Crucem.  
Et liceat Domino cum moriente mori.*

*uiter uiuentium.* Tu quæris per vicos & plateas ciuitatis, sed ego non in foro, non in publico, non in angulis reperior ciuitatis. Tu quæris in mundo, sed ego non sum de hoc mundo. Si carnem crucifixisti cum vitiis & concupiscentiis, si mundus tibi iam crucifixus, & tu mundo, & nihil iam aliud quære-  
re quàm quod me delectat, ascende ad montem myrrhæ, ad montem Caluariæ, ibi inuenies cubile meum, in quo cubo, in quo requiesco, in meridie charitatis meæ. Ibi inuenies *ferculum Salomonis de lignis Libani*, super omnia enim ligna Cedrorum CRUX mea excelsior. Ibi, veluti *argenteas* inuenies *columnas*, clauos illos, qui ferculo CRUCIS me affixerunt. Ibi inuenies diuinæ naturæ meæ *reclinatorium aureum*, & *ascensum purpureum*. Fuit enim CRUCIS illa

*Arbor decora & fulgida,  
Ornata Regis purpurâ.*

Ibi inuenies *mediâ charitate constrata propter filias Ierusalem*, medium enim CRUCIS ipse ardentissimâ flagrans charitate occupauit, offerens me in holocaustum diuini amoris igne combustum, vt filias Ierusalem ad me, meumque amorem & imitationem trahe-  
rem. Eia igitur, dilecta mea, huc ascende, si quidem mihi desideras adunari. *Sequere me exaltatum à terrâ, vt non solum supra te, sed*

Cant. 3.  
Ludouicus  
de Ponte  
lib. 6. in  
Cantic.  
exhort. 32.  
§. 4.

Venant.  
Fortun. in  
Hymno.

Bernard.  
Serm. 4. de  
Ascens.

*& supra omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, vniuersa quæ in terrâ sunt, deorsum aspiciens, & despiciens, sicut scriptum est:*

Isaïæ 33. *Cernent terram de longè.*

Hoc, aiebat Staurophila, etiam atque etiam desidero. Sed dic, quæso, ancillæ tuæ,

Niceta  
Serroniſ  
in Orat. 42  
Nazianz.

*quanam ratione non solum corporeo, sed etiam spirituali modo quispiam CRUCEM conscen-*

*dat? Nimirum, inquiebat Christus, cum per ærumnas & afflictiones supra res terrenas asurgit, ac tentationes carni dolorem inurentes, velut quosdam clauos lubenter excipit, vt beata vita dulcedinem afferentes. Clauus enim*

*pedes manusque penetrans, clauis est cælum referans, portasque aperiens æternales. Vtinam Domine, aiebat Staurophila, conclauari & configi tibi possim, vt æternæ salutis suauitate perfruar! Huc CRUX, & clauis te ducent, aiebat Christus. Vide autem an non ipsa crucifixi hoc insinuet figura & situs.*

Basil Homil. de Baptism.

*Quemadmodum enim qui crucifigitur mortis subiectus condemnationi, ab illis disiungitur, cum quibus aliquando vite commercium habuit, sublimior iam illis, qui in terrâ adhuc reptant factus: ita & qui mecum crucifigitur, ab omnibus in vniuersum, qui secundum hoc sæculum viuunt, ab alienatus est, & sublatâ iam mente, ad caelestem conuersationem exaltatus, verè & cum fiducia dicere poterit, Nostra con-*

*uer-*

*uersatio in calis est. Reuerà enim qui patibu-* Cassian.  
lib.4.c.35.  
*lo CRVCIS affixus est, non iam presentia con-*  
*templatur, nec de suis affectionibus cogitat, non*  
*pro die crastino sollicitudine curaq; distendi-*  
*tur, nullà possidendi concupiscentià permoue-*  
*tur, nullà superbià, nullà contentione, nullà a-*  
*mulatione succenditur, non de presentibus do-*  
*let iniurijs, non prateritarum iam recordatur,*  
*seç; cùm adhuc spirat in corpore cunctis ele-*  
*mentis credit esse defunctum, illuc pramittens*  
*sui cordis intuitum, quò se non dubitat illicò*  
*transiturum: ita te quoque timore & amore*  
*Domini crucifixam, oportet non solùm carna-*  
*libus vitijs, verùm etiam ipsis elementis mor-*  
*tuam, illuc habere oculos anime defixos, quò te*  
*sperare debes momentis singulis migraturam.*

Domine, aiebat Staurophila, *quid mihi est* Ps.72,25.  
*in celo, & à te quid volui super terram? Amo*  
*te Amor meus Crucifixe, amo amorem il-*  
*lum tuum, quo configi clavis voluisti, ut qui-* Carolus  
Scrib. in  
Amor. di-  
uin. parte 2.  
cap.8.  
*cumque amat, frui iam liberè amore possit; il-*  
*liusq; inherere, & castis satiari amplexibus.*  
*Eueniat hoc mihi! sed neque satior amplexi-*  
*bus, ita avarus omnis amor est, nisi me totam*  
*senserò eisdem amoris clavis Amori meo confi-*  
*xam; ut nulla nos vis, tempestas nulla separa-*  
*re possit.*

Quàm nunc sapias, charissima! inquiebat  
 Christus, quàm diuina hæc tua vota! non  
caro

caro & sanguis reuelauit tibi, sed spiritus Patris mei, qui in cælis est. Eodem repletus &

Gal. 2, 19.

Paulus, dicebat: *Christo confixus sum CRVCI: viuo autem iam non ego, viuit verò in me*

Dionys.

*Christus.* Animaduerte hic vt *ecstasim faciat diuinus amor, amatores suo statu dimouet, &*

Arcopag.  
de Diuin.

*fui iuris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert.* Ecstaticus hic meus erga vos

nom. c. 4.

amor ita me rapuit, meipsum vt pro vobis exinaniuerim, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu in-

Dionys.

*mentis excessum patiens. Vide autem exactam*

loc. citat.

*vita rationem, ac beatam illam animam admirare.* Quoniam enim seipsum mihi, & CRVCI

Chrysoft.

*totum præbuerat, & ad meam voluntatem omnia faciebat, non dixit, Viuo Christo; sed,*

in Epist. 2.  
ad Galat.

*quod longè maius est, dixit, Viuit verò in me*

*Christus.*

Admirari fatis nequeo, aiebat Staurophila, quo modo dicat Viuo, &, Non ego viuo, sed in me viuit Christus; quasi enim hæc contraria sunt, Viuo & Non viuo. Non capis hoc? inquiebat Christus; lucem adferat hæc similitudo. Surculus aliquis naturali excifus.

excisus arbore, alteriq; insitus, priori illi omnino mortuus, in alterâ illâ, cui insertus est, tantùm viuit, & ab illâ succum & vigorem omnem trahit: non secus qui mihi & arbori CRVCIS inseritur, priori, quâ mundo viuebat, vitæ extinctus succum gratiæ & virtutis à me solo fugit, & nouâ vitâ viuit in me. Habebat ita Paulus vitam, non quidem in se, sed in me. Viuebat, inquam, non tam ipse in se ipso, quàm in me, & ego in illo. Nam *qui mundo mortuus manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4, 16. Non viuebat in Paulo natura, non concupiscentia, non voluntas propria; sed tantùm ego, qui gratiâ meâ quasi animâ & virtutibus, tamquam potentiarum motibus, eum ad omne bonum agebam & impellebam.

Quàm hoc, ô Domine, aiebat Staurophila, gloriosum! Næ ego felix omnino fuerim, si idem gratiæ tuæ munere mihi contingat! Hoc, ô Domine, votorum summa meorum, hoc æstuantis animæ meæ desiderium! Inseme tibi, ô arbor vitæ, vt moriar mihi, & viuam in te. Transfige me clauis tuis, & tibi, CRVCIQVE tuæ strictissimo annecte vinculo, numquã dissoluendo. Etenim in CRUCE  
*Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.*

O liceat tantùm, Amor meus crucifixe! Da hoc amanti, qui vocare dignatus es fugientem,



Philip. 1,  
21.  
Chrysoft.  
in Epist. ad  
Philipp.

tem, inuitare repugnantem, allicere nolentem. Nunc, ô Sponse sanguinum, quod antè tantopere reformidabam, *mibi pati cibus, crucifigi voluptas, viuere Christus est, & mori lucrum.* Nam etiam moriendo non moriar, eò quòd *Te Vitam habeo in meipso.* Suspendium hoc elegit anima mea, non quo moriar, sed viam. Nam quì moriar vitæ meæ pro me crucifixæ coniuncta? Quid in me, quæso, mors iuris haberet, quæ

Breuiar.  
Rom. Fes-  
to Exalt.  
Crucis.

1. Corinth.  
15, 55.

Scriban.  
Amor. di-  
uin. part. 2.  
cap. 9.

1. Cor. 6,  
17.

————— *mortua tunc est,*  
*In ligno quando mortua vita fuit?*  
*Vbi est ergo nunc mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Non timeo illum, si tu mortua. Sed ô, vita animæ meæ! ô anima vitæ meæ! si tu moreris, libenter etiam tecum moriar. Quomodo enim viam sine vitâ, sine animâ? Age igitur

*Si iam fortè mori tibi stat sententia, Christe,*  
*CRUX ferat vna duos, mors ferat vna duos.*

Imò non iam duos, sed vnum ex duobus coadunatum. *Qui adhaeret Deo,* inquit Apostolus, *vnus cum eo spiritus efficitur.* Quid ergo qui tibi, ô dilecte, clavis connectitur? O vnicum bonum meum! æterna veritas, IESU mi! vni me tibi in veritate, nec diuellar à te in æternum. O! liceat in hoc amoris lecto eum dilecto viuere, cum Amore meo mori,  
cum

cum rediuiuâ vitâ meâ reuifcere, & reuifcere in nouitate vitæ gloriofæ.

Dicebat hæc CRVCI affixa, dilecto suo innixa & innexa Staurophila, iamque Amori suo immoriens, vltimum pænè exhalabat spiritum.

Delectatus autem languentis Spônſæ ſuæ amore Chriſtûs, ita ſermonem concludit: Eia columba mea, iam totius Stauropædiæ culmen tenes, metam nunc attigiſti, brauium accipies. Mihi hætenus compatiens, mecum iam conglorificaberis; mecum mortua, mecum viuificaberis; heres Dei, & coheres mihi futura regni cæleſtis. *Nam vt me, qui me humiliavi factus obediens vsque ad mortem, mortem autem CRVCIS, Deus exaltauit, & donauit nomen quod eſt ſuper omne nomen, ita & omnes eos qui mihi compatiuntur, & paſſionis meæ imitantur exemplum, Deus mecum exaltat in gloriâ. Hæc namque VIA eſt, quam coheredibus meis, vt exaltentur, aperui. Hæc VIA quæ ducit ad vitam, & regnum æternum.*

Origenes  
lib. 7. in  
Epiſt. ad  
Rom.



A R-